UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Controversiarvm Praecipvarvm In comitiis Ratisponensibus tractataru[m], & quibus nunc potissimu[m] exagitatur Christi fides & religio, diligens, & luculenta explicatio

Pighius, Albertus

Parisiis, 1549

XI. De ordine Ecclesiastico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29467

Visual Library

te eorundem efficaciam. Hæc inquam (quod aduerſarios male habet) magna authoritate docentur in regno pontificio quod idem, Chriſti regnum eſt: nempe, catholica per orbem eccleſia: hæc docta ſunt ſemper, hæc docebuntur perpetuo, quàm diu ſtabit eccleſia.

# DE ORDINE ECCLESIASTICO.

## *vndecima Controuerſia.*

DE ordine eccleſiaſtico quoniam in confeſsione ſua ſpecialem ediderunt articulũ aduerſarij, nobis quoque ſpecialiter agendum eſt. De quo paucis quidem verbis illi ſe expediunt, at non parum ſub illis paucis verbis non ſancti myſterij obtegitur. Habet articulus eorum in hęc verba.

De ordine Eccleſiaſtico docent, quòd nemo debeat in eccleſia publice docere, aut ſacramenta miniſtrare, niſi rite vocatus. Latens ſub his myſterium tũc intelligis, ſi cum his contuleris, quæ in articuli præcedentis aſſertione dicunt de ſacerdotio: nempe, ipſum non eſſe, ſacramentum, ſed nudum prædicandi verbi, & porrigendorum populo ſacramentorum miniſterium. Nec nos indigere ſacerdotio, quod cum quadam conſecratione & ſanctificatione diſtinguat ſacerdotes noſtros à Laica multitudine: quale fuerat illud Leuiticum in teſtamento veteri: vt quorum erat officium, offerre deo pro populo: cui apud nos locus nullus fieret poſt oblatum illud conſummatúmque in cruce, nullo apud nos quod offeramus exiſtente ſacrificio. Non aliud ergo ſacerdotium agnoſcunt, quàm doceat Lutheri euangeliũ nempe docendi verbi & ſacramentorum nudum miniſteriũ

*Explicatur ſententia aduerſariorum de ordine eccleſiaſtico & ſacerdotio*

*Sacerdotiũ illis eſſe nudum verbi & ſacramentorum miniſteriũ*

alicui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*alicui mandatũ à populo à magiſtratu.*

alicui mandatum, à magiſtratu, aut populo, vel ſimpliciter, vel cum ſolenni ritu aliquo, quem ipſi ſibi finxerunt pro honorando miniſterio. Eſſe proinde ſacerdotes, quàdiu committenti populo aut magiſtratui placeat: deſinere eſſe, cùm reuocatur miniſterij commiſſio.

*De catholico ſacerdotio quid ſentiant.*

Quale verò apud nos eſt, & fuit, ſacerdotium, ad celebrandam miſſam, offerendum altaris ſacrificium, remittenda peccata hominibus, cæteráque peragenda, quæ nos dicimus pertinere ad ſacerdotale officium, quod ſubſiſtere poſſe credimus, ſine prædicãdi verbi miniſterio, eſſe ignoratum Chriſti eccleſiæ: ſed inuentũ papiſticæ eccleſiæ: imò, nihil eſſe quã merum figmentum ignorantium hominum, nec de ſacramẽto, nec de re eccleſiaſtica quicquam intelligentiũ. Chriſto authore, dignitatis authoritatiſq; imparitatem non eſſe in eccleſia. Omnes eandem à Chriſto poteſtatẽ habere: omnes in eodẽ gradu conſiſtere omnes æquè Chriſtianos ſacerdotes eſſe: omnes ſanctificatos in Chriſto: tametſi nolint licere omnibus ea poteſtate vti, ſed his tantum quibus id à populo aut magiſtratu committitur: cui miniſterium verbi, & ſacramentorum demandatur. Quẽ ritè vocari intelligunt: atque ea vocatione miniſtrum eccleſiæ cõſtitui.

*Quibus argumentis nitantur.*

Et hæc illi tanquam legiſlatores quidam ita proferũt, velut ex tripode. Quibus ſimpliciter aſſerentibus, ſi nõ credas, ſed demonſtrari tibi inauditam nobis hactenus doctrinam exigas, nihil inuenis, niſi vnum illud Petri tibi ad hęc omnia ſufficiat: Vos eſtis regale ſacerdotium. Quo verbo, Chriſtianos omnes indiſcriminatim ſacerdotes pronunciari intelligunt. Nec aliud eſſe inter nos ſacerdotium, quàm quod in baptiſmo accipimus.

*Quo ſpectet iſta aduerſariorũ doctrina de ſacerdotio.*

Quæ doctrina niſi vniuerſam ſecum religionem vna inuoluat, & conetur in vulgi vilipenſionem, ac contemptum adducere, ego ſanè nihil intelligo. Hoc ſcio, concomitanter & correſpondenter hæc neceſſario ſe habere, ſacerdotiũ, & religionem: & quanti hæc apud quoſcunque fuit, tanti fuiſſe & ſacerdotium: nec poſſe alterum in partem vllam ſeiungi ab altero, aut in vilipenſionem & contemptũ venire ſine altero. Proinde, quo ſpectet hæc noua doctrina, quæ prophanat, commune facit, imò prorſus tollit, ſacroſanctum ſacerdotium noſtrum, & omnem ordinem ſacrum ex eccleſia, non eſt admodum emunctis naribus, cui non ſubolet.

*Doctrina haſtenus recepta.*

Nos aliam doctrinam didicimus in catholica Chriſti eccleſia. Qu

ſia. Quæ cum diuinarum ſcripturarum authoritate, orthodoxorum ab initio omnium conſenſu, & totius per orbem eccleſiæ catholicæ communi nitatur ſententia, mihi certior videtur: & quam, Chriſti fideles ſequantur ſecurius, quam nudę impudentíque apertioni contrariæ.

*de ordine ſacro, & ſacerdotio quibus nitatur.*

In primis hoc ex Apoſtolo nobiſcum intelligere conſentiéque videntur aduerſarij, imò plane conſentiunt, ſacerdotum, ſanctificatione quadam & conſecratione diſtinctum à populo, ibi neceſſario exigi, vbi ſit ſacrificium deo offerendum pro populo: Sed quia nullum apud nos volunt eſſe ſacrificium eiuſmodi, nullam quoque putant eſſe neceſſitatem apud nos ſacerdotij ſacratioris iſtiuſmodi, & diſcriminati à populo. Suprà autem à nobis irrefragabiliter demonſtratum eſt, apud nos eſſe ſacrificium omnium ſacrificiorum maximũ & digniſſimũ, quod quotidie offeratur deo pro populo· Eſſe proinde etiam apud nos ſacerdotium ſacratiſſimũ, & omni honore ac reuerentia digniſſimum: & non prophanũ & cómune omni populo· Quæ vna ratio ad cóuincendos aduerſarios, mihi eouſque ſufficere videtur, quouſque nó recte & minus ſufficienter demóſtratum à nobis, extare apud nos veritatem ſacroſancti illius ſacrificij, demonſtrauerint: Quod non puto tam facilè facturi ſunt.

*Euangelici ſacerdotii veritas dei mõſtratur ex veritate ſacrificii euangelici.*

Deinde ita certius ipſam rei veritatem intelliges, ſi hoc apud te conſtitutum fuerit, quod eſt certiſſimũ & veriſſimũ: vniuerſam formam eccleſiæ noſtræ, illũ eius architectũ prius quã ipſam côderet, velut præludio quodã adumbraſſe & delineaſſe in veteri illo populo, eius lege, ſacerdotio & tabernaculo. Lex, inquit apoſtolus vmbram habet futurorũ bonorũ: Et rurſus. Omnia in figura cõtingebãt illis, ita vt ab vmbra ad ſui corpus, à figura ad correſpõdenté ſibi rei veritaté, efficax argumentãdi locus ſit, ſecundum eiuſdem Pauli dialecticam: qui hoc pacto, quod diuini iuris ſit, atque ita cõſtitutum à domino, vt viuant de Euangelio, qui annunciant euangeliũ ſatis demonſtratum exiſtimat, quia, qui in veteri illo tabernaculo operabantur, viuebant ex tabernaculo: & qui deſeruiebant altari, participabant ex altari: perinde ac ſi diceret, fuit in vmbra & figura, ergo eſt in corpore & veritate.

*Ex vmbra eiuſdẽ & figura in lege veteri*

*Ab vmbra & figura ad correſpondentẽ ſibi veritatẽ corporis vt efficax argumentandi locus ſit.*

Videmus autem in illa vmbra & figura, diſtinctioné eorũ, qui diuino ſpecialiter mancipati fuerant miniſterio à Laica multitudine. Nam de Aaron & filiis eius notũ eſt, vt ſeparati

*Diſtinctio graduũ*

fuerint

*dinis ſacri in lege veteri. Leuitæ.*

fuerint à vulgo filiorum Iſraël, & ſanctificati oleo vnctionis ſancto, conſecratíque domino. De Leuitis idem teſtatur ſcriptura. Ita enim locutus eſt dominus ad Moyſen: Tribum Leui noli enumerare, neque pones ſummam eorum cum filijs Iſrael, ſed conſtitues eos, ſuper tabernaculum teſtimonij & cũcta vaſa eius, & quicquid ad cæremonias pertinet: ipſi portabunt tabernaculum & omnia vtenſilia eius. Quiſquis externus acceſſerit, morietur. Vides quanto hi ab externis, hoc eſt, Laicis, ſegregantur diſcrimine. Et rurſus, deſcripto ritu conſecrationis & ſanctificationis eorundem. Statues, inquit, Leuitas, in conſpectu Aaron & filiorum eius, & conſecrabis oblatos domino, ac ſeparabis de medio filiorũ Iſrael, vt ſint mei & poſtea ingrediantur tabernaculum fœderis, vt ſeruiant mihi.

*Sacerdotiũ bipartitũ.*

Ad hæc, videmus bipartitum illic ſacerdotalem ordinem, nempe & Aaronem ſacerdotem, & filios eius: ſed illum non ſolum ſacerdotem, ſed & põtificem, hoc eſt, ſacerdotem maximum inter fratres ſuos: ſuper cuius caput, fuſum eſt ſanctæ vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt: filios autem eius, inferioris gradus ſacerdotes, & conſecrationis ritu ab illo diſtinctos, & habitu. Nam horum manus tantum, non etiam capita, oleo ſanctæ vnctionis in ſacerdotio conſecratæ ſunt, & tunicæ erant lineæ, magni quidem honoris prærogatiuam indicantes, quum regij diadematis, in num candés eſſet inſigne, ſed illius vnius, ex auro, hyacintho, purpura, gemmíſque præcioſiſſimis refulgens ornatus, omnium excellentiſſimorum artificũ exercuit, & ſtupefecit manus & ingenia.

*Leuitici ordinis in varia officiorũ munia diſtinctio.*

Videmus quoque Leuiticum ordinem, tametſi vno conſecrationis ritu ſanctificaretur domino, ad excubias & miniſterium eius tabernaculi: varijs tamen officiorum & miniſteriorum ordinibus diſtinctum, & in tres claſſes ſub ſuis capitibus ac principibus diſtributum, & ſuum cuique locum in excubijs & miniſterio aſſignatum, iuxta ſacerdotum imperium. Vt nihil videre ſit in illa Sunamite, præter choros caſtrorum.

*Quod chriſtus talem cõſtituerit eccleſiam*

Quid igitur erit in ſolida veritate, ſi tam diligenter conſtitutus, tam decorus fuit ordo, in illa eius vmbra & figura veteri? An hanc, velut confuſiſſimam quandam abſque vllo ordine Babylonem feciſſe decuit, qui illam inſtar nobiliſſimæ

cuiuſ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cuiuſdam ciuitatis ordinatiſſimè conſtituit? An forte hic abbreuiata fuit manus domini, & infirma omnipotens illa ſapiẽtia, quæ alioqui attingit à fine ad finem fortiter, ac ſuauiter diſponit omnia, quo minus talem potuerit formare eccleſiã ſuam, qualem adumbrauerat, & deliniarat in illo veteri populo? An indignam exiſtimauit, ille huius architectus & opifex (quam ſuo ſanguine ſanctificare, ſibíque dedicare dignatus eſt) in qua ordinanda ac ornanda tantum laboraret, quãtum in ſynagoga illa veteri? An denique vilius & indignius erit, quod ſumma veneratione ac reuerentia tractetur, illud quod à noſtræ legis ſacerdotibus offertur, ſacrificiũ, illa pretioſiſſimi corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti hoſtia, veteris legis illis hoſtijs & ſacrificijs, taurorum, inquã, hircorum & vitulorum ſanguine & cadaueribus? Ozias rex, à domino lepra percuſſus eſt, quòd ſacerdotalis ordinis munus vſurpans, præſumpſit offerre incenſum ſuper altare thymiamatis: & iam cuiuſuis erit, etiam ex infima fæce plebis, etiam, mulierum, & puerorum, offerre illud incenſum, quod ille in ara crucis pro totius mundi ſalute adoleuit? Non licebat cuiquam in illa vmbra, vaſa ſanctuarii nuda tangere, niſi ſolis ſacerdotibus, à quibus præcipiebantur inuoluta tradi filijs Caath, quo ita diuinis rebus maior apud omnes haberetur reuerentia. Et nunc vaſa quibus in ſacroſanctis noſtris tremendiſque myſterijs vtimur, quibus excipitur & recõditur ſacratiſſima Euchariſtia, communia profanáque erunt: & abſque vlla reuerentia quorumlibet contrectanda manibus? Baltaſar ille rex temulentus, bibens ex ſacris vaſis templi, illico ſenſit dei manum vindicem, vita ſimul mulctatus & regno: & nunc calices ac patinæ, quibus corpus & ſanguis dei redemptoriſque noſtri excipiuntur, à profanis ac ſceleratis hominibus indigniſſime tractari, in illius contumeliam, apud aduerſarios nullum crimen eſt.

*ſuam qualem in veteri populo deliniauerat, & adumbrauerat.*

Quin & hoc pacto, ſi rem expenderis, certior conſtabit ea apud te veritas. Expreſſum clariſſime cernimus in vmbra tabernaculi veteris, quàm diligenti ordine formãda erat noſtra eccleſia. Videmus tabernaculi & altaris miniſterio aſcriptos omnes, cõſecratos, domino: & ſegregatos à reliqua multitudine, videmus ſolis ſacerdotibus commiſſa eiuſdẽ tabernaculi ſacrificia: & ſub mortis pœna interdictum ne quis vltra ſuam ſortem, ſuúmque gradũ quid præſumeret, quod eſ-

*Ex ipſa rei euidentia & correſpondẽtia quã cernimus veritatis ſolidæ ſubſcri-*

*bente ſuæ vmbræ ac deliniationi, in lege veteri.*

ſet alterius: nec cuiquam impune vnquam ceſſiſſe præſum-
ptionem eiuſmodi, ſed præſenti vltione, tanquam ſe irreue-
rentius habitum contemptumque, vindicaſſe dominum, In-
telligimus ſacrificij noſtræ legis rationem hoc requirere, vt
illud ipſum, longè maiori apud nos in veneratione habeatur
ac reuerentia, quàm vmbratica illa, in figura veteri. Ad hæc,
communi omnium ſenſu eſt notorium, in contemptum ab-
ire, & mox vileſcere, quæ ſunt communia & expoſita omni-
bus. Ipſam proinde rectiſſimam rationem neceſſario requi-
re ſingulariter aſcriptos diuino cultui, & peragendis tractan-
díſque illis ſacroſanctis tremendiſq; myſterijs noſtris, ſingu-
lari quadá dignitatis prærogatiua, reliquo populo eſſe vene-
rabiles: & ab eodem ſeiunctos, ſtare in eminentiori quodam
gradu & ordine. Videmus poſtremo, id quod requirebat ne-
ceſſaria ratio, id quod tá diligenter expreſſum erat in vmbra
illa veteri, nunquam defuiſſe noſtræ eccleſiæ: ſed ab ipſis apo-
ſtolorum téporibus in eadem fuiſſe ab initio, & in hunc vſq;
diem, toto orbe terrarum, quacunque patet nomé Chriſtia-
num, adhuc conſeruari: nempe, Leuitici & ſacerdotalis ordi-
nis diſcriminationé à reliqua multitudine Laica. Quid eſt er-
go, quod hìc quiſquá aut dubitare aut reqrere poterit? Abſq;
ordine illo ſacro, eſſe aut ſubſiſtere omnino nó poterat Chri-
ſti eccleſia. Quam talem, longe antequam faceret, deliniauit
& expreſſit omnipotens illa ſapientia. Ordinatam præterea
videmus eandem, varijs ſacrorum miniſteriorú gradibus cor-
reſpondenter ad vmbram illam veterem: & de authore eius
ordinis quiſquam dubitat?

*In lege vete. tres gradus distincti ſacri ordinis Leuiticus. Sacerdotalis. Pótificalis.*

In vmbra & figura, tres gradus diſtinctos ſacri illius ordi-
nis. Leuiticum népe, Sacerdotalem, & Pontificium, fuiſſe in-
dubitatum eſt. Leuiticum ſub ſacerdotali, & ſacerdotalé ſub
Pontificio. Tribum Leui, fac ſtare, inquit, in conſpectu Aaro-
nis ſacerdotis, vt miniſtrent ei. Et rurſus: Princeps auté prin-
cipum Leuitarum, Eleazar filius Aaron ſacerdotis: Hic erat
gradus miniſtrantium, quanuis non ſimplex, ſed diſtributus
in varia officia & miniſteria: ſubiectus, non tantum Aaron,
hoc eſt, Pontifici ſacerdoti ſummo, ſed etiam inferioris gra-
dus ſacerdotibus. Qui cùm multi eſſent, & ipſis vnus præ-
erat Pontifex, hoc eſt, interpretante ſcriptura, ſacerdos ma-
ximus inter fratres ſuos. Eſſe hos gradus, & diſtinctos, ſacri
illius ordinis, ex eo manifeſtum eſt, & quod ſine conſen-

conſecratione & ſanctificatione ad hos gradus nemo aſcriptus eſt: & quod ſuo cuiq; gradui proprius ſuus, diſtinctúſq; conſecrationis ritus extitit. Ritus conſecrationis gradus Leuitici deſcribitur Numerorum cap. VIII. Sacerdotes, illis etiam amplius conſecrati ſunt domino. Induti enim veſtitu illo ſuo ſacro, initiabantur manus eorum, & conſecrabantur ſacro chriſmate, iuxta ritum qui in Exodo & Leuitico deſcriptus legitur. At Aaron, maximus ſacerdotum & Pontifex, præterea eodem chriſmate ſacro inungebatur & caput. Quin & habitus ille ſacerdotalis, vt immenſam eorundem, non ſolum à laica multitudine aut populo, ſed etiam à Leuiticis diſcriminationem, dignitatémque indicat, ita & pontificius ille ornatus, eius gradus ſupra ſacerdotalem, magnam excellentiam dignitatis demonſtrat.

Eoſdem hos gradus, aut qui illis, vt ſuæ vmbræ, veritatis ſolidas, è regione reſpondent, videmus fuiſſe ſemper ab ipſis Apoſtolorum temporibus toto orbe terrarũ vſitatos, celebratóſque in Chriſtiana eccleſia. Videmus diaconatus gradum, hoc eſt, miniſtrantium, ſub ſacerdotali, ab ipſis celebratum Apoſtolis, (ad quem, quales velit admitti Paulus, Timotheo ſuo diligenter perſcribit, & in eo vniuerſæ Chriſti eccleſiæ) Leuitico è regione reſpõdentem: (cuius & nomine, ob officij miniſteriíque correſpõdentiam, deſignatur ſubinde) nec hunc ſimplicẽ, ſed ſuis adhuc partitum officiorũ miniſteriorumque varijs gradibus & officijs: Videmus ſacerdotalem: Videmus his ſupereminentem ſuperintendẽtémq; Pontificium, Quem, ab hoc, Epiſcoporum vocabulo nominari, antiquus eccleſiæ vſus obtinuit. Quanuis ante, etiam ſacerdotes omnes, quod diaconorum aut miniſtrantiũ ordini præeſſent, ac ſuperintenderent, vocatos inueniamus Epiſcopos. Sed vocabulorum confuſio, rerum diſcretioni nihil præiudicat. Videmus ad hæc (vt ſenſibilibus miniſtris, ſacerdotibus & Pontificibus, aut Epiſcopis, opus habemus, quos poſſumus internoſcere in ijs quæ ſingulorum ſunt officij) viſibili quoque ordinationis & cõſecrationis ritu, hos ſacri ordinis gradus, ſed quenque ſuo & proprio, & qui cuiuſque propriam, quæ in eo à deo tradebatur, poteſtatem exprimeret, ab initio collatos fuiſſe in eccleſia. Ita diaconatus ordinẽ, manuũ apoſtolicarum impoſitione, cum oratione ſolenni & congruẽte demandato miniſterio, traditum legimus ab ipſis Apoſtolis.

*Correſpondẽtia chriſtianæ eccleſiæ ad veterẽ, in dictis gradibus.*

*Diaconatus, hoc eſt miniſtrantiũ aut Leuiticus; ab ipſis celebratus Apoſtolis.*

*Sacerdotalis. Pontificius, q̃ nũc epiſcoporũ*

*Fuiſſe hos gradus ab initio collatos certo cõſecrationis ritu, exprimẽte cuiuſ*

*que energiã,& officium.*

Sacerdotibus verò manus initiatas fuiſſe in ſacerdotio,& cõſecratas ſacræ Vnnis oleo, cum cæteris ſymbolis & verbis, quibus exprimebatur iiſdem tradi,in primis,poteſtatẽ & conſecrandi & offerendi ſacroſancti illius noſtri incruenti ſacrificij in eccleſia:item dimittendi peccata hominibus atque eadem retinendi:ad hæc ad eorum officium pertinere,orare pro populo,atque eidem benedicere:ſacramenta miniſtrare & prædicare verbum dei,quãdo ad hoc vocarentur miniſterium:breuiter, velut mediatores quoſdam eſſe inter deũ & populum,in ijs quæ ad deum pertinẽt,vt apoſtolicis hoc verbis dicam,vniuerſa teſtatur antiquitas. Quemadmodum enim pontificalis ordinis dignitatem,eodem,qui adhuc hodie toto orbe obſeruatur à Chriſti fidelibus,conſecrationis ritu,ab ipſis mox apoſtolorum temporibus, & velut ex eorundem traditione,tradi conſueuiſſe.

Et quiſquam de authore dubitat?

*Cauilli remotio,de ordinatiõe ſacerdotali ſola manuum impoſitione apoſtolorum tẽporibus.*

Et quamuis ordinationis ſacerdotalis,in apoſtolicis literis non per conſecrationem vnctionémque ſacri chriſmatis,ſed tantum per impoſitionem manuum apoſtolicarum, aut epiſcopalium, videamus mentionem fieri. Quemadmodum Titum Paulus admonet,reſuſcitare gratiam,quam per manuum ſuarum impoſitionem ſuſceperat,nulla mentione facta de cõſecratione aut chriſmate . Et Thimotheum, non temere quenquam ordinandum docens ad ſacerdotium,ſed maturo exactóque iudicio : Manus, inquit, cito nemini impoſueris. Hoc nihilominus certum eſt,in rudi illo Chriſtianitatis initio,nondum videlicet ordinata conſtitutáque hierarchia & diſciplina eccleſiaſtica,plurima perfunctorie,ex quadam ſpiritus ſancti diſpenſatione,pro neceſſitate illius temporis peracta fuiſſe ab Apoſtolis. Quæ paulo poſt,eodem doctore authoréque ſpiritu,qui ſuis quæque diſpenſat vniuerſa temporibus,eorundem apoſtolorum traditione ordinationéque præſcriptam certámque formam receperunt , quam videmus ab ipſis Apoſtolorum temporibus continua eccleſiaſticæ traditionis ſucceſſione,eodem tenore,toto orbe terrarum conſeruatam vſque ad nos.

*Ab ipſis apoſtolorum tẽporibus, ſacri chriſ-*

Certè,ſacri chriſmatis inunctione,& eodem plane,quo nunc ritu,etiam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ordinari conſueuiſſe ſacerdotes& Epiſcopos,teſtes ſunt,in primis ſ. Dionyſius non vno loco hierarchiæ ſuæ eccleſiaſticæ, præ-

ſertim

*matis inunctiõe, & eo dẽ quo nũc ritu ordinari conſueuiſſe Sacerdotes & Epiſcopos.*

ſertim autem capite quarto & quinto par.1.eiuſdem. Ille quoque beatiſſimus Clemens, æquè apoſtolorum atque adeo beatiſſimi Petri diſcipulus, & in Apoſtolica cathedra & in martyrio ſucceſſor. Qui, q̃ de hierarchiæ eccleſiaſticę ordinatione à ſpiritu ſancto conſtituta à tanto præceptore edoctus fuerat, ex illa cathedra, pro ſui officij debito, alios docens & inſtituens, inter cætera in hæc verba ſcribit cunctis Epiſcopis, & vniuerſis ordinibus eccleſiaſticis: de efficacia ſancti chriſmatis præmittens. Omnis, inquit, Pontifex, ſacro chriſmate perunctus, & in ciuitate conſtitutus, ſacris ſcripturis eruditus, charus & precioſus hominibus oppido eſſe debet. Quem quaſi Chriſti locum tenentem, honorare omnes debẽt, eique ad ſalutem ſuam obedientes exiſtere, ſcientes, quod ſiue honor, ſiue iniuria quæ ei defertur, in Chriſtum redundat, & à Chriſto in deum, &c. Hæc ille Clemens. Sed & huius quoque ſucceſſor Anacletus, atque beati Petri diſcipulus, in Epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Italiam, habet in hæc verba.

*Teſtes apoſtolorũ diſcipuli. Dionyſius. Clemens.*

*Anacletus*

Ordinationes Epiſcoporum, authoritate apoſtolica, ab omnibus qui in eadẽ prouincia fuerint, epiſcopis, aut ſaltem, non paucioribus, quàm duobus, aut tribus, reliquis aſſenſum præbentibus, celebrandæ ſunt. Qui ſimul conuenientes, ſcrutinium diligenter agant, ieiuniúmque cum orationibus celebrent, & cum ſanctis euangelijs, quæ prædicaturi ſunt, imponentes, dominica die, hora tertia, orantes, ſacráque vnctione, exemplo prophetarum & regum, capita eorum, more apoſtolorum, & Moyſi vngẽtes, (quia omnis ſanctificatio conſtat in ſpiritu ſancto, cuius virtus inuiſibilis ſacro chriſmate permiſta eſt) hoc ritu ſolennem ordinationem celebrent. Audis ritum ordinationis Epiſcoporum, ab ipſis Apoſtolorum temporibus: imò ab ipſis vſitatum apoſtolis, niſi hic mentiatur apoſtolorum diſcipulus, & veritatis martyr, quam ſuo ſanguine aſſeruit. Conſona ſunt his, quæ ſcribit Tertullianus, libro de carnis reſurrectione. Et quę ille glorioſus martyr & doctiſſimus Pontifex Cyprianus, libro de vnctione chriſmatis.

*Hũc notẽt ritum ordinatiõis epiſcoporũ, ab ipſis apoſtolorum temporibus.*

*Tertullia.*

*Cyprianus de vnctiõe chriſmatis*

Non hæc, inquit, medendis corporibus eſt vnctio instituta. Quia ſanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & virtus ſacramento, vt & ipſis rerum efficiẽ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tijs, gratiæ dignitas pateat, & interiori homini, quanta ex his detur authoritas, deiformi conuerſatione, & ſanctis moribus innoteſcat. Hoc oleo, etiam antiquitus, ſacrabantur ſacerdotes & reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritalem intelligi volebant myſterijs ineſſe pinguedinem. Et ſicut oleum fluidis & humilis quibuſlibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis, & regiæ dignitatis, ſecundum formá dei & Chriſti ſub ſe omnia continens, & regimen & munimen, tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitę continet, & in hoc humore conſtat deſcédere omnes gratiarum diuiſiones, quas ſpiritus ſanctus, prout vult, ſingulis largitur & diſtribuit. Hæc ille Cyprianus.

*Epilogus ratiōis prædictæ.*

Breuiter, huic obſeruationi teſtimonium perhibet, venerabilis ille chorus, ſanctorum patrum omnium. Iſtarum euidentia, & totius orbis conſenſus & concors obſeruatio ſubſcribit. Vmbra & figura veteris illius tabernaculi, atque eius ſacerdotij, ſuo corpori, ſolidæque veritati aſtipulatur & conſonat. Quid igitur hîc dubij aut ſcrupuli cuiquam Chriſtiano eſſe poterit, hoc ſanè non intelligo. Falſiſſimum proinde eſt, ſacerdotium, eſſe nudum docendi verbi dei, & ſacramenta miniſtrandi, à populo aut magiſtratu mandatum alicui miniſterium.

*Explicātur ſacerdotalis ordinis officia.*

Sed omnis ſacerdos ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad deum. Quod tametſi de Pontifice dicat Apoſtolus, de ſacerdotio tamen in vniuerſum ipſum intelligere, idem haud obſcure ſignificat: ad Christi hoc ſacerdotium applicans, de quo dictum profert in Pſalmis. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

*Sacerdos mediator quidã, inter deũ & populum.*

Omnis itaque ſacerdos conſtituitur pro hominibus, in his quę ſunt ad deum, vt ſit mediator quidam inter deum & populum; cuius principale & præcipuum munus eſt, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis populi, vt idem ſubiungit Apoſtolus.

*Eius principale munus offerre ſacrificiũ.*

Porrò, cùm noſtri ſacrificij tanta ſit excellentia præ veteribus illis: ad hoc præcipue ſancti orthodoxique patres noſtri reſpicientes, ſacerdotij noſtri dignitatem præ illo vetori, tantopere efferũt: De qua Gregorius ille Nazianzenus quodam præclaro carmine. O ſacrificia, inquit, mittentes incruenta, ſacerdotes. O animarum cuſtodes glorioſi: O magni figmentum dei, veſtris in manibus ferentes: quam & Chryſoſtomus eodem reſpectu, angelicæ dignitati comparare non dubitat.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sed non eſt vnicum ſacerdotis officium, qui cõſtitutus eſt pro hominibus in his quæ ſunt ad Deum. Quod enim hominum ad deum eſt, nequaquam ſimplex eſt, nec vnius generis, ſed multa & varia: quod ipſum, pluratiua illa locutione etiã Apoſtolus indicat. In his, inquiens, quæ ſunt ad deum: nõ in eo quod ad deum eſt. Itaq; ſacerdotalis officij etiam eſſe, ſolennem pro populo orationem fundere, atq; eandem ex ordinis & officij gratia, efficaciorem eſſe, quàm ſi funderetur à quouis, etiam ſanctiore alio, diuinæ ſcripturæ teſtatur authoritas. Si peccauerit omnis turba filiorũ Iſraël, oblata pro eorum peccato conſtituta hoſtia, & rogante, inquit, pro eis ſacerdote, ꝓpitius erit eis dominus. Similiter, ſi peccauerit ſeu princeps ſeu vnus quilibet è populo, oblata pro eius peccato hoſtia, rogabit, inquit, pro eos ſacerdos, & pro peccatis eius, & dimittetur ei. Hoc dicit illa ęterna veritas, cuius verba cœlo terraq́; firmiora ſunt: cuius nõ imputare peccata, eſt, eadẽ remiſſa eſſe: Beatus equidem vir, cui non imputabit dominus peccatũ. Sed nũquid etiam ſanctus eſt omnis ſacerdos, vt ob vitæ ſanctimoniã præ cęteris mereatur eius exaudiri oratio? cum & ipſum infirmitate & peccatis circũdatum, ſi fortè dubius, teſtatur apoſtolus. Et propterea, inquit, debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Quid igitur? Orabit, inquit, pro eo ſacerdos, & pro peccatis eius, & dimittetur ei: Ideo dimittetur, quia orat ſacerdos, non quia vir ſanctus, & nulli peccato obnoxius. Itaq; cũ poſt diuinam vltionẽ in Chore, Dathan, Abiron & cõplices ſynagogæ proceres, præſumẽtes vniuerſam multitudinẽ ſanctificatam eſſe ad ſacerdotium, tot virorum optimatum necem imputaſſet populus Moyſi & Aaroni, quaſi pro ſua ipſorum dignitate zelantibus, & ob id, aduerſus eos tumultuarentur & ſeditionem facerent, dicentes. Vos interfeciſtis populum domini: egreſſaque ea propter à domino plaga graſſaretur in populum, & iacerent tam Moyſes quàm Aaron pronum in terra orantes coram domino, dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergẽs cito ad populum vt roges pro eis. Iam enim egreſſa eſt ira à domino, & plaga deſęuit. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama: & ſtans inter viuos & mortuos, pro populo deprecatus eſt: & ceſſauit plaga. Vides,

*Eiuſdẽ eſſe ſolẽnẽ orationem pro populo fundere.*

*De ſacerdotalis orationis efficacia non ex vitæ merito, ſed officio.*

*Eiuſdē eſſe Benedicere populo, & inuocare nomen domini ſuper eum.*

quamuis vitæ merito, & ſpecialis gratiæ prærogatiua, apud deum magis valeret Moyſes, quàm Aaron, atque etiam hoc ipſum videret in ſpiritu, quod Aaronem latebat, vltricem ſuam iam à domino egreſſam in populum: tamen vt ſacerdotalis authoritatis dignitatem & efficaciam commendaret & demonſtraret poſteris, Aaron iuſsit currere ad populum, & orare pro eis, quod cùm ille feciſſet, & miſſo incenſo pro illis deprecatus eſſet, plaga ſubſtitit.

Eſt præterea & hoc, ſacerdotalis officii, benedicere populo, & inuocare nomen domini ſuper eum quod in ſacerdotio Melchiſedech (quod fuit ſingularis quædam expreſsio, que noſtri ſacerdotii figura, hoc atteſtante Apoſtolo) probat ſcripturæ authoritas. De quo, cum Abraham victor & opimis ſpoliis onuſtus reuerteretur à cęde regum illorū orientalium, ita legitur. At verò Melchiſedech rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim ſacerdos dei altiſsimi) benedixit Abrahæ, & dixit. Benedictus Abraham deo excelſo, & benedictus deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt, & dedit ei Abrahā decimas ex omnibus.

Videtis ſacerdotalis muneris eſſe, benedicere populo Melchiſedech benedixit Abrahæ, Quare? Quia erat, inquit, ſacerdos dei altiſsimi. Proinde & ad Moyſen, ita locutus eſt dominus. Loqueris filiis Aaron, & dices ad eos, ſic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis. Benedicat tibi dominus, & cuſtodiat te: oſtendat dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Cōuertat dominus vultum ſuum ad te, & det pacem tibi. Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis. Vides ſacerdotalis muneris eſſe, benedicere populo: & inuocare nomen domini ſuper eum. Vides inſuper

*Sacerdotalis benedictionis efficacia.*

deum, neque hac parte deeſſe ſacerdotum ſuorum functioni, neque inefficax aut vanum deſtituere ſacerdotium ſuum. Quin potius, ipſe ſe teſte & ſponſore fideli, ad ſacerdotalē benedictioné, etiā diuinā benedictionē ſubſequi. Inuocabūtq;

*Eiuſdē eſſe Remittere pctā hominibus atque eadē retinere.*

inquit, nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicā eis.

Pertinere inſuper ad noſtri ſacerdotij authoritatem, remittere peccata hominibus, atque eadem etiam retinere, ſupra à nobis copioſius demonſtratum eſt.

Non eſt ergo ſacerdotium noſtrum, nudum miniſterium pendens ex nutu aut magiſtratus aut populi, ſed diuinitus in-

ſtitutum

ſtitutum ſacramentum. Quod ſemel ſuſceptum, æque vt baptiſma, nulla cauſa, nullo crimine amitti vnquam poſſe, nec eſſe reiterabile, habet doctrina catholicæ eccleſię. Vtrunque enim (vt hoc ipſum beatiſsimi Auguſtini verbis dicamus) ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrũq; homini datur. hoc, cum baptizatur: & illud, cũ ordinatur. Ideo, inquit, non licet in eccleſia catholica vtrunque iterari. Nam ſi quando ex hæreticorum pârte venientes, etiam prępoſiti, pro bono pacis, correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, & ſi viſum eſt opus eſſe, vt eadẽ officia gererent, quæ gerebant, nõ ſunt rurſus ordinandi: ſed ſicut baptiſmus in eis, ita & ordinatio manſit integra: quia in præciſione fuerat vitium, non in ſacramentis, quæ vbicunquè ſunt, ipſa ſunt. Et paulòpoſt. Neutri ſacramento facienda eſt iniuria. De ordinis verò ſacramẽto ſubiungens. Sicut, inquit, non recte habet, qui ab vnitate recedit, ſed tamen habet: ſic etiam non recte dat, qui ab vnitate recedit, ſed tamen dat. De vtroque autem. Nõ ergo ideo, inquit, non ſunt ſacramenta Chriſti & eccleſiæ, quia eis illicite vtuntur, non ſolum hæretici, ſed etiã impij: verum illi corrigendi ſunt & puniendi, illa autem agnoſcenda & veneranda ſunt. Hæc ille Auguſtinus.

*ſacerdotiũ eſſe diuinitus inſtitutũ ſacramẽtũ, inauferibile, & irreiterabile inſtar baptiſmatis.*

Non eſt humana, ſed plane diuina ſacerdotalis authoritas, quam & Chryſoſtomus eodem reſpectu angelicę dignitati comparare non dubitat: nec ex humano nutu pendet, quando humano, & manuum Epiſcopalium cõferatur miniſterio. Timotheus & Titus, Pauli miniſterio ſunt ordinati Epiſcopi: at à deo eſt illis data ſacerdotalis authoritas. Proinde, Timotheum iterum iterumq́ue admonuit, ne deſit diuinæ gratiæ, quã ſuo miniſterio acceperat. Noli, inquit, negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum ſacerdotij. Et iterum: Admoneo, inquit, te, vt reſuſcites gratiam quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Et hi quos per ciuitates ordinarat ipſe Epiſcopis: Attendite, inquit, vobis, & vniuerſo gregi veſtro, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere eccleſiã domini Ieſu. Vides quos ille dicat ſpiritũ ſanctum poſuiſſe Epiſcopos, ad regendam eccleſiam dei. Itaque Pontificali miniſterio ordinati & cõſecrati in ſacerdotes & epiſcopos, à deo vocati ad honorem eiuſmodi, ab eodem dicuntur apoſtolo. Nec quiſquam, inquit, ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à deo

*Diuinã, nõ humanam eſſe ſacerdotalẽ authoritatẽ, & à deo dari, q̃uis p epiſcoporũ miniſterium.*

*Ex paulo Apoſtolo*

à deo tanquam Aaron. Quo verbo, neque ordinatis à ſe, Tito Timotheo, & cæteris, honorem, de quo loquitur, ſacerdotalem & Pontificium, abrogat: ſed quemadmodum illos quanuis humano miniſterio, tamen à ſpiritu ſancto conſtitutos Epiſcopos affirmauit, ita eoſdem hic ſignificat vocari à deo.

*Sic intellexiſſe orthodoxos oẽs, teſtes ſunt. Ignatius.*

Dignum eſt igitur, (inquit ille glorioſus martyr Ignatius, & ipſe apoſtolico plenus & imbutus ſpiritu) vos obedire epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere. Hic enim nõ ab homine, ſed à deo habet promotionem. Vides illum rectè intellexiſſe ex prædictis verbis Apoſtoli, Epiſcopum, quanuis ordinatum & conſecratum humano miniſterio, tamen à deo, non ab homine promotionem habere.

*Origenes.*

Eodem ſanè pacto idem intellexit eruditiſsimus ille Origenes. Quid, inquit, loquar de parẽtibus & filiis? Si Ieſus dei filius ſubiicitur Ioſeph & Mariæ, ego non ſubiiciar, Epiſcopo qui mihi à deo ordinatus eſt pater? non ſubiiciar presbytero, qui mihi à dei dignatione præpoſitus eſt? Et ille ſanctus

*Cyprianus*

pontifex martyr Cyprianus, etiam diuinitus ſibi reuelatum teſtatur, quod qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſtea tandem & ſero incipiet credere ſacerdotem vindicanti, pro fide ſibi factæ reuelationis, ad dei tribunal prouocans.

*Chryſoſto.*

Et Chryſoſtomus noſtri ſacerdotij dignitatẽ efferẽs: Agitur quidem, inquit, in terris, ſed officium eius cœleſtibus negotiis continetur. Non homo, non angelus, non archãgelus, non virtus, non alia quæuis creatura, ſed ſpiritus ſanctus, hoc munus inſtituit: atque adhuc manentes in carne miniſterio præſtitit fungi angelorum.

*Cõcluditur ex præmiſſis, euidenter; cõſtare falſitatẽ, ſententiæ aduerſariorum.*

Quid igitur? Nihil ne eſt ſacerdotium noſtrum, quàm nudum docendi verbi, & miniſtrandi ſacramenta mãdatum alicui à populo, aut magiſtratu miniſterium, & quod vt committi, ita abrogari poſsit à populo?

*Quã nihil deus permiſerit populo authoritatis in Sacerdotio.*

Imò, quam nihil ea in re plebem reliquámq; multitudinẽ voluerit deus authoritatis habere: in Chore, Dathan, Abiron, & complicibus eorum, tam euidenti, quàm horrẽdo, memorabilíque in poſteros exemplo, idem ille eius author oſtendit. Qui cùm inſurrexiſſent in Moyſen & Aaron, aliique filiorum Iſraël, ducenti quinquaginta viri, proceres ſynagogæ, & qui tempore concilij, per nomina vocabantur, & pr

ſumerent,

ſumerent, quemadmodum nũc noſtri aduerſarii, vniuerſam multitudinem ſanctificatam eſſe: nec ſolum Aaronem cum filiis ſuis, ſed etiam ipſos ad munia ſacerdotalia admitti debere, dicentes: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorũ eſt. Cur eleuamini ſuper populum domini? reſpondiſſetque eis Moyſes, dominum facturum iudicium in craſtinum, & demonſtraturũ quos ſanctificaſſet, vt ſibi fungerétur ſacerdotio: non defuit iuxta verbum illius, diuinum iudicium: ſed Chore, cum ducentis quinquaginta illis ſynagogæ proceribus, qui ad ſacerdotalis dignitatis munus auſi ſunt ſe ingere, ingreſſa à domino vltrix flamma aſſumpſit. Dathan verò & Abiron, dictis Moyſi inobedientes, rebelles, ſeditioſos & ſchiſmaticos, inaudito à ſeculis ſupplicio dehiſcens de ſub pedibus eorum terra, cum omnibus quæ ad eos pertinebant, viuos abſorbuit, demiſitque ad inferos. Vides vt nihil permiſerit populo ac multitudini in ſacerdotio illius veteris manufacti & vmbratici tabernaculi. Et noſtrum hoc Chriſti ſacerdotium (cuius tantum ſignificandi præcurrendíque cauſa illud vetus erat, tanto vtique pre illo auguſtius, quantò potioribus nos litamus hoſtiis & ſacrificiis) hoc inquã noſtrũ, velut ethnicum aut idolorum ſacerdotiũ, in manu erit & poteſtate profanæ multitudinis: vt cuiuſcunque ille collibitum ſit, implere manum de nouiſsimis populi, ille ſit Chriſti ſacerdos: vt quondam ſuos ſacerdotes excelſorũ conſtituebat ille Hieroboam? Vt ergo illud vetus, vmbra: hoc, rei veritas? imò vt non potius vice verſa, illud plus ſolidę dignitatis habebit, & noſtro erit auguſtius? Confitemur quidem etiã ſacerdotalis officij eſſe, docere populum, & ſacraméta miniſtrare. Sed tamen non proprium, neq; ita, vt non poſsint hęc niſi à ſacerdotibus fieri. Imò, & diaconos exercuiſſe hæc ipſa in primitiua illa eccleſia, ſub Apoſtolis. Lucas author eſt. Ita Samaria, euangelizante Philippo, vno ex diaconis *illis* ſeptem, recepit verbum dei, & baptizata eſt. Ita etiam eoſdem in primitiua eccleſia conſueuiſſe Euchariſtiam frangere, & diſtribuere in populum, teſtatur antiquitas. Proinde, non ſunt hæc propria ordinis ſacerdotalis munia & officia: tametſi nũc etiam eius ſint, ſed nõ ſimpliciter, nec vniuerſis ſacerdotibus incumbẽtia, ſed his tantum quibus populi alicuius cura commiſſa eſt, & regendi authoritas.

*Notẽt aduerſarii exemplum & metuãt*

*A minori.*

*Sacerdotalis quoque officii eſſe, docere populũ, & ſacramenta miniſtrare, ſed nec proprium, nec ſimpliciter neceſſarium.*

Nihil aduerſariorum ſententiam, illa Petri verba faciunt.

*Soluitur*

Vos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Vnica aduerſariorũ ratio quã ex his Petri verbis inducunt.*

*Vos eſtis regale ſacerdotium.*

Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta. Ex quibus cõcludũt, Chriſtianos omnes ſacerdotes eſſe. Quod quàm malè ex dictis verbis concludatur, potuiſſent clariſsime intelligere, ſi reſpexiſſent retro, ad ea quæ in Exodo deſcribuntur à domino dicta verba, quæ Petrus inde deſumpta nobis accommodauit. Ex illis enim, & veram horum intelligentiam, & ſuæ ſententiæ falſitatem impietatémq; ſacilè potuiſſent intelligere & cognoſcere. Moyſi ita dictum legitur à domino. Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Iſraël. Vos ipſi vidiſtis, quę fęcerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meũ, eritis mihi in peculium de cũctis populis, (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſraël. Hactenus ille. Hic nota verba, & ſigna myſteria. Veteri illi populo dictum eſt à domino. Vos eritis mihi in peculium de cunctis populis. Quod ipſum aliis verbis nobis dicitur. à Petro. Vos eſtis genus electum. Illis additur: Et eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Nobis verò, Sacerdotium regale. Hoc itaque (quod ad propoſitum facit) in primis animaduertendum eſt, vniuerſæ multitudini, ſeu communitati collectim, vtrunque dici: Illud veteri illi ſynagogæ: hoc verò, noſtræ Chriſtianæ eccleſiæ: & non vnicuilibet noſtrum. Nemo enim noſtrum eſt gens ſancta. Quare, ſicut ex illis domini verbis dictis illi veteri populo, non poterat vnuſquiſlibet è plebe ſe regem facere, aut ſibi regnum pręſumere, ſed alius erat rex, alius illi ſubiectus populus: ita neque ex his nobis dictis à Petro, poteſt vniuſquilibet ſibi vindicare ſacerdotium: imò alius apud nos eſt ſacerdos, alius laicus populus. Sumus tamen nos, hoc eſt, vniuerſa collectim Chriſti eccleſia, genus electum, & gens ſancta, habens intra ſe regale ſacerdotium, aut honeſtata regali ſacerdotio.

*Peroratio de præſenti cõtrouerſia.*

Et hæc mihi de ordine Eccleſiaſtico hîc ſufficere videntur. Ex quibus nihil dubitamus, viros omnes bonos facile intellecturos, noſtrum ne, quod eccleſia toto orbe, quacunq; patet nomen Chriſtianum adhuc celebrat, an aduerſariorum ſacerdotium, ſit notius eccleſiæ Chriſti, & in ſcripturis fundatius. Nec minus, apud aduerſarios, nec veram Euchariſtiam inueniri, quæ niſi à ſacerdotibus, ordinatis ſecundum ritum eccleſiæ,

*Hæc diligẽter per-*

eccleſiæ, non poteſt confici, & non à Laicis, abſque vlla eccleſiaſtica cõſecratione tantum vocatis à populo, ad nudũ verbi ſacramentorumque, miniſterium, nec remiſsionem peccatorũ apud eoſdẽ eſſe, quòd illa quoque ad ſacerdotalem authoritatem, quæ apud eos non eſt, pertinet, vt hic taceam, eidem locum non eſſe, extra illam eccleſiam, quæ illi Cephę inhæret: quæ Petrum paſtorem rectoremq́; agnoſcit: à qua, illi iam dudum diuiſi ſunt.

*pendant aduerſarii, & conſiderent, quals ſit ipſorum eccleſia.*

# DE TRADITIONIBVS HVMANIS CONTROVERSIA DVODECIMA.

*trouerſia duodecima.*

QVI ſemel inſtituit erronea via ingredi, quanto procedit magis, tanto aberrat longius. Iecerunt aduerſarij vniuerſæ doctrinæ ſuæ fundamentum, illam ſuam ſpecioſam fidem, quæ ſola nos ſaluet, & iuſtificet. Inde progredientes, in quæ errorum portenta proceſſerint, ex parte demonſtratum ſatis cõfidimus. Nunc ad id quod eſt propoſitum. Ex eodem hoc principio abominantur, quicquid à ſanctis patribus traditum inſtitutumque eſt ad vitam potiorem pertinens, atque eo reſpiciens, vt abrenunciato mundo, crucifixa carne, cœleſtem vitam in mortali corpore meditarentur homines: vota monaſtica, conſtitutas viuendi leges & regulas, vel preſcriptas à ſuperiorib⁹, vel quibus ſua ſponte ſe aſtringunt, quibus ea cordi ſunt: præterea, ciborum diſcrimina, & ieiunia, quæ præcipiuntur & obſeruantur in eccleſia. Quæ vniuerſa execrantur, vt doctrinas dæmoniorum, Chriſti euangelio, & fidei doctrinæ contrarias, quando docentur iſta valere ad placandum deum, ad promerendam eius gratiam, & ad ſatisfaciendum pro peccatis: aut ſi, ſeu ex præcepti, ſi ex voti ſponte emiſsi obligatione fiant, tanquam

*Sententiæ aduerſariorum, cũ ſuis rationibus explicatio.*